

**05**

**A**

**1875**





TRIAS  
THEOREMA-  
TUM PHYSICORUM,

*Quam*

AUXILIANTE SUPREMI NUMINIS GRATIA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi,

DN. JOHANNIS Sperlinges/

Phys. Prof. Publ. longè celeberrimi, Dn. Præceptoris, Fautoris ac  
Patroni sui omni observantiæ cultu æternum,  
devenerandi,

*Placide Eruditorum disquisitioni submittit*

MARCUS ESMARUS HOLSATUS

A. & R.

*In Auditorio Majori ad diem 9. Martij*

*horis matutinis.*

\*\*\*\*\*  
WITTEBERGÆ,

LITERIS JOHANNIS HAKEN, M DC LIII.

40.



THEOPHILUS  
PHYSICORUM

INSTITUTUM SUPREMI NUMERIS GRATIA

STUDII



05 A 1875

MARCUS EMILIUS HORTENSIVS

IN HOC VOLUMINE

LIBRARIUS HANNOVERAE





# I. N. J.

Προαυλιον.

**F**requens fuit eaq<sup>3</sup> pervagata apud Veteres de Veritate  
querimonia, quod ita humana mentis commercium ef-  
fugisse videretur, ut eam mortales nullo modo invenire  
possent, quin omnem in eâ quærenda frustra insumerent a) Colleg.  
operam. (a) Hinc Democritus (b) eam in puteo, cui fun- Conimbr. in  
dus non esset demersam questus est. Plato (c) pratū quod- proæm. phys.  
dam constituit & campum Veritatis, in quem non nisi alis q. 2. art. 1.  
à DEO additis evehi quis posset. Seneca (d) veritatem, b) Cic. lib. 4  
involutam pronunciavit, ac in alto latentem. Lucianus Acad. quest.  
(e) venustè eandem finxit virginem τὴν γυμνὴν ἢ ἀπο- c. 10.  
Φεύγσαν αἰεί. Inde tantus tenuit Veritatis ardor antiquos c) in Phædr.  
Sapientes, ut ad eam indagandam exilia potius suscepe- d) lib. 7. de  
rint, quam peregrinationes. (f) Siquidem omnino verum benef. c. 1.  
est, quod conqueritur Höttingerus. [g] rerum minimarum e) in Piscat.  
etiam, insolita si prodeant, dulce esse Spectaculum, maxima- f) Laërt.  
rum autem, solita si decurrant, nullum esse sensum; Solem lib. 1.  
quis observat nisi deficientem? lunam quis nisi laborantem? g) in præfat.  
Ἰὼν γὰρ ἠδέων ἰὰ σπαιώτατα γένομενα μάλιστα τέρπει (h). Exerc. An-  
Quam solers Veritaris indagator extiterit Anaxagoras, timor.  
exinde videre licet, quod Cælius Rhodig. (i) ejus in veritate h) Demorr.  
spectanda propositum anxium & laboriosum omnibus perpẽ- ap. Stob.  
dendum exhibet: Quinimo aras ipsi dicatas refert, quarum serm. 17.  
viseretur inscriptio, nunc quidem ἔσ: nunc vero ἀληθείας, i) Antiq.  
Plato & Aristoteles non minori sanè flagrarunt veritatis a- lect. lib. 11. c. 1  
more, quorum ille (k) μικρὸν Προτίθειν Συκράτης, τῆς δ' k) in Phæd.  
ἀληθείας, πολὺ μᾶλλον; & alibi (l) ἔπρόγε τῆς ἀληθεί- l) lib. 10. Rei-  
ας τιμητέον αἶδρα jubet. Hic autem (m) ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς pub.  
ἀληθείας τὰς φιλοσόφους ὄντας καὶ τὰ οἰκεία ἀναρῆν m) lib. 1. E-  
A 2 svadet: thic. c. 6.

- suadet: ἀμφοῖν γὰρ ὄντων Φίλοι, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀ-
- n] Scalig. ληθείαν. Viderunt quippe Viri Magni Veritatem nostræ  
Exer. 3. Philosophiæ animam esse (n) & eâ ignoratâ omnem se no-
- o] Patrit. bis erigere Philosophiam. (o). Quapropter & nos haut abs  
Tom. 1. lib. 13 re facturos putamus, si celeberrimorum virorum vestigiis  
p. 164. insistentes præsentē in veritate ulterius indaganda loca-  
verimus operam; Ut si intima ubiq; veritatis adyta pene-  
trare non liceat (quod vix sibi quispiam in hac humanæ
- p] Cas. lap. mentis caligine pollicebitur) (p) saltem ne toto ejusdē  
Phil. præf. p. excludamur sacrario. Nam non solum, inquit Zabarella  
12. [q] si scopum attigerimus, aut prope ad veritatem accesseri-
- q] lib. 2. de mus, verum etiam si aliquantum ab ea nos aberrare contige-  
method. c. 1. rit, nihilominus laudandi erimus: præstat enim veritatis a-  
more in aliquē errorē incidere, quā in solâ authoritate acquie-  
scere sine rationis indagatione; illud namq; ingenuū & philoso-  
phicum præ se fert animum, hoc vero servilem. Sed ne longi-  
us extra oleas vagemur, ad rem ipsam Θεῶν σὺν παλάμα  
accingamur, spe felicioris successus, quam fuit Ajacis illi-
- r] Odyss. 4. lius Oilei, qui teste Homero [r] quod invitis Diis solvis-  
set, naufragum habuit mare. Sit igitur

#### THEOREMA I.

### PRIVATIO FALSO ANNUMERA- TUR PRINCIPIS CORPORIS NATU- RALIS.

- a] Tom. 4. §. 1. Aristoteles teste Patritio [a] tanti fecit theorema  
lib. 1. p. 364. de Principiis, ut in iis contemplandis, tractandis, scribendis la-  
borem atq; operam consumpsit maximam. Quoniam ut
- b] lib. 1. Ni- ipse Aristot. ait [b] μεγάλην ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς τὰ ὑπό-  
com. c. 7. μενα, δοκεῖ γὰρ πλεῖον ἢ τὸ ἡμισὺ τῶν πάντων εἶναι ἢ ἀρχή.
- c] l. 1. Phys. Et discursus de Principiis inquit Toletus (c) est fundamentum  
c. 7. p. 30. totius Philosophiæ naturalis. Quapropter non temere quid  
recipiendum in Principiorum classem, quia secundum  
Lipsium

Lipsum [d] mali plerumq; sit augurij in principio lapsus: d] lib. ad  
 nec ex mente Arnisei [e] sibi quicquid arduum promittere vers. Dialog.  
 possit in reliquo itinere, qui turpiter statim in porta hallucina- p. 531.  
 natur. ἐνὸς γὰρ ἀτόπου δοθέντος τὰ πάντα συμβαίνει (f) καὶ e] part. 1.  
 τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν, ἐν τελευταίῃ γίνεσθαι παμμέγεθες [g] Nā sicut Vind. verit.  
 serpens, ut cū Caso loq. [h] per rimulam inserto capite, fa- cont. Rhæd.  
 cillimè secum corpus totum trahit, spargitq; venenum ubicūq; f] Arist. lib.  
 serpit: ita absurditas una [quæ est caput erroris] semel ad- 1. Phys. c. 3. t.  
 missa, errata mille secum adducit, quæ veluti toxica venena 22.  
 scientiam inficiunt & corrumpunt. Merito igitur ad evitā- g] lib. 1. de  
 dum hoc malum despiciamus, quam suo merito obtineat Cælo c. 5.  
 hunc in Triumviratu Principiorum locum Privatio: Quod h) lap. Phil.  
 si abs se non habuerit, abire jubebimus, unde malos tulit lib. 1. c. 3. &  
 pedes. Scintilla enim errorum [i] in cineribus quasi sepulta 4. p. 80.  
 fluentis Philosophiæ extinguenda, ne in flammis irrupentes i) Casus loc.  
 incendium faciant. alleg.

§. 2. Nos autem non omnem ex Philosophiæ finibus  
 arcemus privationem, logicam enim s. metaphysicam nō  
 minus quam Peripatetici admittimus, quæ est, ut eandem  
 Plur. Rev. Dn. D. Scharff. [k] describit absentia habitus  
 debiti inesse, seu negatio vel destructio rei & formæ ali- k) Manual.  
 cujus, quæ debebat inesse: ut cæcitas, surditas, morbus & c. Ve- logic. lib. 1. c.  
 rum pro hac nostra ingenuitate, ut loquitur Patrit. [l] lar- 4. p. 80.  
 giantur nobis ipsi quoq; quod ardenti desiderio Sapientes mul- l) Tom. 4. l.  
 ti viri sepissime expetiverunt, ut physicam illam, quam pro 9. p. 461.  
 Principio vendit Aristoteles, tanquam infelicem stolonē,  
 ut appellant, degeneremque non naturæ sed humani cerebri  
 fatum ex agro gremioque physices eamus exterminatū. Quod  
 quidem præstitū eò facilius, quo magis ficulneo nititur  
 fundamento. Non enim tradit nobis Aristoteles teste Patri- n) Tom. 4. l.  
 tio [n] quid principium illud sit, sed tantum semina Conjecta- 2. p. 378.  
 tionum spargit. Quod nec ipse Zabarella [o] inficiatur, o) lib. 1. de  
 dum eos, qui Aristotelem apodicticè probasse Principia con- mat. c. 2. p.  
 tendunt, ignorantia logices coarguit. Ut hic non minori 136.  
 jure adhiberi possit illud Excell. Dn. Præsid. [p] de Ari- p) Instit.  
 stot. 6. q. 3. p. 420.

stot. temporis definitione : *Quid tempus sit, quis scit, definitione illâ auditâ, quid tempus sit nescit.* ita quid privatio sit, qui antea scivit, lecto & audito Aristotele cum Interpretibus, quid privatio sit nescit. Unum manet idque certissimum, quo quis plures adhibet authores, eò redditur, tum incertior, tum ob temporis dispendium infelicioꝝ, ut iterum conqueritur Excell. Dn. Præses [q]

q) *Instit.*  
*phys. lib. 1. c.*  
*4. q. 1. p. 157.*  
r) *aurifod.*  
*part. 1. c. 7. p.*  
*54.*

S. 3. Sed quoniam fulmina hic minantur à Magistro Interpretes, inter primipilos hujus pugnae Promachum ipsum constituemus Aristotelem. Quod si enim his Drexelii (r) verbis aliquid tribuendum: *decem millia Philosophorum nominavi, cum Antesignanum hunc unum dixi; hoc pacto felicius quam ipsâ*

----- ————— objectâ Gorgone Maurâ.

Veritatis hostes repellemus. Et dubio procul idem accidit Aristoteli hic, quod alibi [s] Casus testatur; *scripsisse nempe eum iu æstu ingeniosa juventutis [que laudis est avida] hos Physicorum libros, in quibus de falso Principiorum Triumviratu multum somniaverit, credo equidem non quod sic putaret, sed quod alij lauro Philosophiæ & Sapientiæ donati cõ-*

s) *lap. Phil.*  
*lib. 3. c. 5. p.*  
*441.*

t) *Tom. 4.*  
*lib. 2. p. 378.*  
u) *Citat. loc.*

*trarium dixerint. Postea inquit Patritius [t] veluti pœnitentia ductus & verbis & opere emendavit hunc lapsum acutissimi ingenij vir. Melius siquidem est juxta Casum (u) juvenilem frontem erubescere, quam mentem senilem labe perversitatis aspergi & Conspurcari. Audiamus igitur Aristotelem,*

x) *lib. 1. phys.*  
*c. 19. t. 79.*

cujus hæc sunt verba (x) ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ σέρησιν ἕτερον εἶναι φασίμεν, ἃ τῶν τῶ μὲν ἄν, εἶναι κατὰ συμβεβηκὸς τὴν ὕλην, τὴν δὲ σέρησιν κατ' αὐτήν. Et ut pervicacibus Stoicis, tetricisque Catonibus omnes elabendi

y) *lib. 1. phys.*  
*c. 8. t. 75.*

rimas obstruat, eodem quoque alibi (y) stat dicto, nec tesseram repetit. ἡμεῖς ἢ ἃ αὐτοὶ φασίμεν γίνεσθαι μὲν ἕδεν ἀπλῶς ἐκ μὴ ὄν, ὁμοίον κατὰ συμβεβηκὸς ἐκ γὰρ τῆς σέρησεως, ὃ ἐστὶ κατ' αὐτὸ μὴ ὄν, ὅτε ἐνυπάρχουσι γίνε-

z) *Tom. 4. l.*  
*1. p. 371.*

ταί τι. Atq; ita ipse Aristoteles, ut cum Patritio loq. (z) *monstruosum hunc factum in ipsis interemit incunabulis: si hoc antea*

tea



tea fecisset, exemisset ingenia ex tormentis, in qua sese conjiciunt sponte, ut beatum principium hoc intelligant. Opiniones enim pugnaces proponere, & non revellere, est teste Caso (a) tenera ingenia opprimere & veluti suffocari. Aristoteles (b) docet, nullam de eo, quod per accidens est, scientiam dari aut contemplationem. Si igitur illud quod rarissimè fit, & propè non ens est, in nulla consideratur scientia, cur privatio, quæ per se non ens est, nobis pro principio nobilissimæ scientiæ, imo pro principio rerum ipsarum obtruditur & ad contemplandum proponitur. Hinc Plato & ex antiquis nonnulli, ut testantur Conimbr. [c] Privationem ex numero principiorum excluderunt, quia tanquam non ens suspectam eandem habuerint. Acquiescant igitur hisce Magistri sui δευτέρας ὀπορίσι, ni pipulo dilatatum velint, quod sibi nunquam constet: Cujus teste Bodino [d] Galenus ipsum jamdudum coarguit. Sed quia non tam auctoritas in disputando, quam rationum momenta quærenda sunt [e] cum Sagittario [f] sic inferimus. Privatio si est Principium aut extrinsecum, aut intrinsecum: Non extrinsecum id quod vel omnes facile concedunt; neq; intrinsecum: Intrinseca debent essentiam ingredi, perficere, absolvere, at privatio ut non ens hoc nunquam præstitit. Unde idem Sagittarius [g] si constitutio rerum spectetur, friget & exultat privatio. Principiorum, inquit Scalig. [h] debet esse actio; atq; privatio nihil agit. Neque enim ait Magirus (i) privationi actio tribuitur. Concludimus igitur cum Bodino (k) Privationem quia nullam essentiam habet, nec ullam vim tribuit Subjecto, principium dici non posse.

§. 4. Verum cum liquido cernant, Aristotelem sibi met ipsi injecisse tragulas, nulla argumentorum vi evelendas, aliâ rem aggrediuntur viâ, & Aristoteli non propositum fuisse contendunt omnium corporum naturalium, sed sola eorum, quæ gignuntur & intereunt, principia tradere Vid. Zabarell. (l) Pererius (m). Sed Patribus Conimbr. (n) hæc instantia rem non conficit: quia Principiorum

a] ancill.  
phil. præf. p.  
6.

b] lib. 6. metaph.

c] lib. 1. phys.  
c. 9. q. 8. art.  
2.

d] Theatr.  
nat. lib. 4. p.  
454. & 479.

e] Cic. lib. 1.  
de nat. Deor.

f] Exerc.  
physic. 3. th.  
8.

g] Cit. loc.  
th. 3.

h] Exerc.  
307. f. 27.

i] lib. 1. phys.  
perip. c. 2.  
th. 37.

k] lib. 1. Theatr.  
nat. p.  
54.

l] lib. de nat.  
scient. const.  
c. 9.

m] de Prin-  
cip. l. 2. c. 2.

n] l. 1. phys. c.  
5. q. 1. art. 4.

vum definitio tam generationis quam constitutionis quarumlibet rerum naturalium etiam caelestium principiis accommodatur: nec methodus & series Aristotelica doctrinae id permittit, utpote qui promisit in prooemio, se ab universalioribus ad minus communia progressurum. Omnino par est, rectissime ait Wendelinus (o) ut in Physiologia generali Communia tradantur Principia omnium corporum naturalium, quod si non fecit Aristoteles certo debuit facere ex lege methodi. Si enim generabilium principia tantum sunt, non hunc sibi vendicant locum, sed potius ad librum de generatione pertinent; id quod ipse fatetur Zabarella. (p) Et ordine omnia pertractanda, ut sunt proposita, ne audiamus illud Scaligeri ad suum Cardanum (q) Membra absyrti sunt, & aliter exqueris quam partiris, & cum statueris quatuor, deducis quinque. Nihil enim est, inquit Conimbr. (r) quod cuius doctrina majorem afferat splendorem, quam rerum, quae in ea traduntur, ordo & dispositio, cujus discessione omnia quasi artus sine nervis nexuque jacent, & in futilem ac turbatam confusionem dissolvuntur;

o) Contēpl. phys. Sect. 3. c. 1. p. 11.

p) lib. de nat. scient. Constit. c. 9.

q) Exerc. 259. f. 1.

r) prooem. phys. l. 1. p. 54

s) Patrit. Tō. 4. l. 9. p. 462.

t) Phys. Perip. lib. 1. c. 2. p. 35.

§. 5. Cum tamen hodiè quoque velint, Privationem esse tantum generationis s. transmutationis principium, dabimus hoc in illorum gratiam Aristotelicae magnitudini, liceat ipsi legibus à se latis abuti: (s) si forsan hac nostra facilitate permoti æquiori dissentientes tolerare discant animo. Interim ipsi videant, ne methodo Arist: quâ eum tantopere præcelluisse deprædicant, labes inuratur. Ante omnia autem, ne in ignotâ, quod dici solet, versetur Sylvâ, de definitione privationis simus solliciti, quo facilius innotescat, an velut extorris digna sit, quæ hic iterum recipiatur. Privationem definit Magirus (t) ex Aristotele, quod sit absentia s. carentia formæ in Subiecto cum aptitudine materiae ad eam recipiendam & pag. seq. addit, eam stimulare atque excuscitare materiam ad appetendum & acquirendum alias atque alias formas físicas. Cum tamen paulo ante omnem privationi denegaverit actionem. Jon.

Casus

Causa (u) melius adhuc exprimit privationis officium; quod veluti aculeus excitet segne materiam ad appetendum formam, seu est tanquam tinea in veste naturæ, vestis & ornatus naturæ forma est, quam semper terit & consumit privatio. Verum aut hæc absurda ac falsa, aut Magistrum erroris arguunt, qui privationem sæpe pro non ente proclamant; jam non entis ut nullæ sunt affectiones, ita nec ullæ operationes; nec privatio inquit Scaliger (x) quicquã agit. Rectè E. Melanchton (y) prodigii simile videtur, privationem inter principia numerari, quæ defectum magis significat, quam vim gignendi aliquid.

u] ancill.  
Phil. lib. 1. c.  
3. p. 23.

x] Exerc. 8.  
y] lib. 2. phys.  
p. 201.

§. 6. Causam, cur monstrum hoc in naturæ scenam sit introductum, affert Sagittarius (z) nimirum ad ostendendum, cur perpetuo sit ortus & interitus vicissitudo, hanc autem vicissitudinem seu mutationem absque privatione fieri haut posse autumant; ac proinde privatio principium transmutationis illis audit. Sed statim ex ipso Aristotele medelam huic malo petemus. ἕκαστον ὃ λέγεται inquit ille (a) κατὰ τὴν ἕστίαν, ὅτι γίνεται, ἅπαν ἐκ τῆς ὑποκειμένης καὶ τῆς μορφῆς & paulo post (b) καὶ δηλόν ἐστιν, ὅτι δεῖ ὑποκεῖσθαι ἢ τῆς ἐναντίας, ἢ τὰ ἐναντία δύο εἶναι τρόπον ᾧ τινὰ ἄλλον ὥσπερ ἀναγκαῖον, ἰκανὸν γὰρ εἶναι τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων ποιεῖν τῆ ἀπρῶτα ἢ παρῶτα τὴν μεταβολήν. Si igitur unumquodque fit ex Subjecto & forma, si sufficiens est forma dum abest & adest omnem mutationem facere; Quorsum plura veniamur principia? Entia enim præter necessitatem multiplicare, inquit Patritius (c) ex ipsius Aristotelis sententia fatuitas quedam est. Accedat, quod nullum vel momentum temporis determinari possit, quo datur privatio; Quam controversiam quoque movent Conimbr. [d] Non enim datur ante generationem s. juxta illorum hypothesein ante formæ inductionem, quia materia tum nondum satis elaborata & disposita est; Privatio autem est negatio formæ in Subjecto naturæ apto: Nec post generationem, quia tum forma adest, quâ præsentem evanescit privatio. Nec in ipsa genera-

z] Exerc.  
Phys. 3. th. 8.

a] lib. 1. Phys.  
c. 7. t. 65.

b] t. 68.

c] Tom. 4. l.  
2. p. 379.

d] l. 1. Phys.  
c. 9. q. 8. art.  
1. p. 222.

neratione, quæ juxta illos fit in uno instanti, & sic privatio simul esset & non esset. Patres prædicti (e) ut scopulos hos art. 2. p. 223. effugiant, non repugnari putant, in eodem temporis instanti secundum aliam atque aliam considerationem dari in materia & privationem formæ & ipsam formam, licet talis privatio in eodem instanti re ipsa ac simpliciter aboleatur. Verum

f) Disput. 3. responsio hæc Mendozæ (f) non satisfacit, quod in uno instanti reali non possit componi forma & ejus privatio, res enim eadem simul esset & non esset realiter. Ille interim existimat, privationem esse principium generationis eodem instanti, quo primum est generatio, & tamen tum non existere: Subtilitas

g) Exerc. 14. profecto maxima, ut utar Scaligeri (g) verbis, quam nec natura oculus vidit; Principium esse & nunquam existere, quo quid absurdius? Corruptionem si adeas iterum privationem exulare videbis. *Ἐναντία*

h) Top. 2. c. 22. *ἢ ἀνα* ait Aristot. (h) τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν ἀδύνατον: atque privatio & forma juxta illos sunt contraria quomodo igitur ibi terit formam & excitat materiam ad alias formas appetendas? sed ut privatio est figmentum, sic quoque appetitus hic,

i) Coll. *ψυχ.* qui a nulli amici, teste Dn. D. Dannhawero [i] *αγριὺς ἀ se* Divp. 6. th. 3. divellantur, quam anima à suo corpore. Rectè E. Casus. [k] p. 168. Si principia inter se conferas, facile advertas, naturam eorū

k) lap. Phil. duo ut filias adoptasse, abdicasse autem a privationem, ut spiriam, vel potius ut viperam, quia in utero natura veluti concepta, illius viscera [cum prodeat] vulnerat & exedit.

§. 7. Altera ratio, cur privatio addenda est, quod omnia quæ generantur ex contrariis fiant, πάντα τὰ γενόμενα φύσει, inquit Aristoteles [l] ἢ ἐναντία, ἢ ἐξ ἐναντίων. Ubi prima statim fronte exhibet Veterum Philosophorum consensum, cum tamen Anaxagoras, teste Patritio (m) non contraria sed homæomerias & ὁμοιοῦν posuit. Parmenides quoque accusatur, quod unum tantum fecerit principium sed transeant hæc. Nos potius de rationibus, quibus contrarietatem hanc probare satagit, diluendis essemus solli-

l) l. 1. phys. c. 5. t. 47.

m) Tom. 4. l. 1. p. 367.

solliciti, nisi jamdudum Zabarella nos hac sublevasset o-  
perâ. Qui dicunt, ait ille [n] principia contraria probari ab n) l.1. c.2. de  
Aristotele demonstratione à priori, si non bene logicam didi- mat. prim  
serunt. Ex definitione siquidem quidditativa principii, probat  
prima contraria esse principia rerum, quod est petere illud idē,  
quod probandum erat. Non enim aliâ ratione utitur quam  
inductione & quidem ab artificialibus (o) de non musico, o) l.1. phys. c.5  
in concinno, infiguratione inordinatione &c. Eandem  
repetit cantilenam seq; cap. 7. naturale exemplum præter  
album & nigrum fermè nullum affert. Siquidem nullum ei,  
ut loquitur Patritius [p] in mentem venit, venit tamen in p) Tom. 4. l. 2  
mentem ex his artificialibus conclusionem in naturalibus in- P. 377.  
ferre. Si ego, inquit ibid, sic argumentarer; Artificialia ex  
contrariis fiunt, & omnia naturalia ex contrariis fiunt, ex-  
ploderer, ex sibillarer è Scholis omnibus, sed quia Aristoteles  
id fecit, acquiescunt, admirantur omnes, personam philoso-  
phantur non rem.

§. 8. Quanquam autem Aristoteles non quod peccus ex-  
aturet, ut loquitur Scaliger [q] sed verba tantum afferat, q) Exerc. 71.  
tamen omnes Peripatetici teste Patritio (r) sine discrimine, s. 1.  
sine hesitatione ulla autumant, quicquid sit ex contrario sit, r) Tom. 4. l. 1.  
verum ne esset an secus, nunquam cogitasse videntur. Cujus as- p. 367.  
serti certitudo vel ex unico Zabarella constat. Si ex aquâ,  
juxta illum (s) generatur aër (est unum ex Peripateticorum s) l. 1. de  
arcanis, nobis nondum revelatis] per se generatur ex non mat. c. 2. p.  
aëre, per accidens ex aquâ: accidit enim illi non aëri, ex quo 137.  
fit aër ut sic aqua. Jam ut loquitur Patritius [t] ex quolibet t) Tom. 4. l. 2.  
fiet quodlibet: aequè enim, petra, es arbor folium sunt non p. 378.  
homo, quam semen ante generationem, accidit tantum semi-  
ni, ex quo fit homo, quod fit semen hominis & non leonis e-  
qui, Canis &c: Sic nugæ delectant multorum ingenia, in-  
quit Scalig. [u] sicut monstra in picturis; ut quævis absurda u) Exerc. 62.  
statuere non erubescant, modo falsa illorum hypothesis, s. 1.  
quod omnia ex contrario fiant, maneat inconcussa. Sed x) Patrit.  
quoniam in Gracia, [x] id olim evenisse rationabile est crede- Tom. 4. lib. 1.  
re: alio- p. 370.

ve; alioquin nostris temporibus, nostris oculis & manibus rem tam fatuam, Sapientissimus omnium hominum Magister libris suis non inseruisset, contrarium à contrario fieri non asseruisset. Cum itaque eo temporis ita contigerit irreprehensus maneto. Nobis [etiam interpretibus] quibus aliter tempora attulerunt aliter asseverandum.

§. 9. Si jam vel maxime daremus, omnia generari ex contrariis, unde quaeso locorum ista contraria peterent? formam enim & privationem si afferunt, & nos negamus esse contraria prima, quomodo probabunt? forsan ex Aristotele, *μια* inquit ille (y) *ἐναντιώσεις ἐν παντὶ γένει ἐνὶ, ἢ ἢ ὑσία ἐν τῷ γένει*, *Ἐποστὲα ἀδύνατον πλείους εἶναι ἐναντιώσεις τὰς πρώτας, ἢ γὰρ ὑσία ἐν τῷ γένει ἐστὶ τὸ ὄν*. Si in his consistit omnis probationis nervus, ex ipso Aristotele (z) statim eundem incidemus. *ὅτι εἶναι φανερὸν ὑσίαν ἐναντίαν ὑσίᾳ*: *Substantia enim ex communi regula nihil contrarium.* Hic seligant quamcunque velint sententiā, sin priorem, dicant nobis, quænam illa in uno Substantiæ genere contrarietas: forma quidem ex illorum Philosophia Substantia est, at quid de privatione fiet, si hanc Substantiam dicant, tum non ens, & quod nunquam extitit, Substantia est, quod absurdum; si negent esse Substantiam jam friget illa inter privationem & formam, contrarietas. Restat igitur ut alteram sententiam eligant, & Substantiæ nihil contrarium fateantur, nec formam quæ directè in prædicamento non est, contrariari privationi; ut taceam, non esse prima contraria.

§. 10. Sed non est quod ulterius solem sereno in cælo lucentem digito demonstramus, cum tota hæc structura minus stabili de formarum educatione ac creatione nitatur fundamento, ut & quod nihil agat nisi in contrarium.

a) *Exerc. Phys. 3. tb. 8.* *Contraria sola in se agere, inquit Sagittarius (a) plus quam manifestum.* Ita uno absurdo dato innumera alia velut ex Pandora Hesiodea profuunt ac prorumpunt; ex falsa enim hypothesis, ait Scalig. (b) *falsum deduci mirum non est.* At quid

quid homini facies, quærit Sagittarius (c) & nos cum illo, qui soli manifesto obloqui audeat? Diogenes erit hac in parte nobis imitandus, qui cum Præceptor Zenon, quod nihil in rerum natura moveretur, acerrimè tueretur, ob ambulare cepit, & quærenti Zenoni, quid rerum ageret? tuas inquit diluo rationes. Sic & illos, qui hanc hypothesin defendunt, ipsâ refutabimus experientiâ ablegando eos ad vulgum, ut ab eo meliora discant. Manum adustâ non frigida committit aquæ, sed ab igne medelam petit. Ignis enim major agit in minorem eum extrahendo. Sic pedem frigore læsum gelidis terit nivibus, vel in aquam frigidam immittit & priori restituit vigori. Videatur Excell. Dn. Præses (d) Si experientia contradicunt, Sophistas illos agere aut mentis ἀπώσσεια ut loquitur Patrit. (e) labore rare dicimus, qui tam sensatam rem demittant, & rationem rei, quæ non est, perquirant. Quorsum enim mihi aut tibi, inquit. Scal. (f) aut ulli alii viro optimo argumenta, ubi sensus judex est. Atque sic fabrica hæc, (g) tantis laboribus constructa, detecta fundamentorû inanitate, fucis parietibus facta, corrui, ac solo aequata jacet.

c] Phys. ex  
erc. 4. t. b. 2.  
Inst. phys.  
l. 2. c. 3. q. 3.  
Tom. 4. l.  
1. p. 373.  
Exerc. 71.  
Patrit.  
Tom. 4. lib. 5.  
p. 428.

## THEOREMA II.

### LOCUS RECTIUS DEFINITUR

PER SPATIUM QUAM PER SUPERFICIEM.

S. 1. Adeo intricata est de loco doctrina, ut Philosophi etiam acutissimi, teste B. Sennerto (b) hic dubii hæreant, dum quæritur an locus sit superficies vel spatium. Toletus quoque fatetur tractationem de loco admodum difficilem esse, in qua antiqui laborarint multi. Agnosco, inquit, B. Meisnerus [k] angustias & infirmitates intellectus humani, qui etiam ante pedes posita satis percipere nequit. In loco sumus & vivimus, in loco quiescimus, ex loco ad locum quotidie transimus &

B 3

adeo p. 451.

adeo tamen circa loci naturam cecutit mens nostra, ut quid demum statuere debeat, vix ac ne vix quidem inveniat. Quapropter, ne nobis contingat quod olim Thaleti Milefio, qui dum nimium caelo intentus in foveam decideret, ab ancilla ridebatur, paucis in quonam vera loci natura consistat, utpote qui nobis non ante pedes est, sed totos occupat, inquiremus.

- §.2. Hoc quidem æquor Aristoteles se primū trāsseait, (l) ἐτι δ' οὐκ ἔχομεν ἕδὲν παρὰ τῶν ἄλλων ἕτε προσηπορημένον ἕτε προσηπορημένον πρὸς αὐτῶν. Sed eodē capite (m) seipsū prodit, ἐτι οἱ τὸ κενὸν φάσκοντες εἶναι τόπον λέγουσι, τὸ γὰρ κενὸν τὸ πρὸς αὐτὸν εἶναι ἐσηπορημένον σώματι. Hesiodo locum quoque fuisse cognitum, haut obscure innuit. Imo si Patritio (n) credimus, ab Archyta non solum totum hoc dogma sed verba etiam quedam mutuatus est. Plato quoque (o) omnes ferme loci conditiones, quas requirit Aristoteles, alio licet sine explicavit.
- §.3. Sed quoniam satis constat, inquit. B. Sennertus (p) plurimos auctoritate potius, quam ratione ad sententiam Aristotelis de superficie defendendam moveri; utpote quibus Pythagoricum illud (q) αὐτὸς ἔφα, ab ipso Aristot. reprehensum, magis arridet quam ipsa veritas. Merito igitur dubitamus de externā Arist. περιγραφή; quandoquidem, ut loqui amat Patritius (r) de singulis dubitare non est inutile, præsertim cum & sui causæ bonitate diffisi nobis monstrent viam. Mendoza (s) ingenuè fatetur nullam habere sententiam de superficie probabilitatem præter auctoritatem Aristotelis. Meo iudicio, ait Toletus (t) probabiles est opinio asserens illud spatium vacuum secundum se locum esse, nec in opposito video rationem demonstrantem: & pag. seq. opinio Aristotelis probabilitatem habet non necessitatem. Sententia de spatio, inquit Piccolom. (u) profecto cæteris relatis præferenda est & apprimè probabilis. Conimbr. quoque testantur (x) opinionem hanc à nullis hætenus satis firmis rationibus profligatam; licet Aristot. eam improbaverit. Nihilominus cæcus
- D] l.4. phys.c. 1. t. 2. m] text. 6. n] Tom. 2. l. 6 p. 246. o] in Parmē. p] lib. 1. c. 7. nat. scient. p. 98. q] Sagitt. Exerc. phys. 24. th. 16. x] Tom. 4. l. 1 p. 365. s] l. 4. f. 1. t] l. 4. c. 5. q. 3. p. 116. u] lib. de affect. corp. c. 8 p. 312. x] l. 4. c. 5. q. 1 art. 2.



æcus illorum amor eos eò rapit, ut pro Aristotelis sententia stabilienda depugnent tanquam

----- Danais pro navibus Ajax:

§. 4. Cum igitur ipsi Interpretes sententiam Aristotelis admodum reddant suspectam, & Casus nos quoque doceat (a) Aristotelem demonstrantem audiendum ut Ducem, sequendum ut Principem Philosophorum, alios vero refutantem non tam impense & serio legendum, nisi eorum opera & monumenta vivant. Nostrum non erit, nudæ Aristot. assertioni acquiescere, aut quicquam, veterum Romanorum more (qui teste Zabarella (b) non prius fruges degustare solebant, quam primitias Sacerdotibus libandas præbuissent) inconsultâ naturâ arripere. Ne autem incerto vagemur æquore, totam hanc velificationem trito includemus Syllogismo, ad quem identidem velut nunquam occidentem arcton recurrenti. Syllogismû cû Excell. Dn. Præside (c) Constitui-  
m9 talé. Cuicûq; omnes veræ loci cõditiones competunt id pro loco habendû est; atq; spatio omnes veræ loci cõditiones cõpetunt. E. spatiû pro loco habendû est. & contra. Cuicunq; non cõpetunt &c. Sed ut ὅσπερ πρότερον agamus, prius Aristotelica superficies examinanda venit; Videtur enim, inquit B. Meisnerus [d] exitium paratum esse superficiei & extrinseca corporis περιγυραφῆ si genuinæ loci cõditiones eidem applicentur.

§. 5. Prima conditio est, quod locus debeat esse immobilis: Quam non solum Aristoteles [e] sed etiam Theophrastus, Eudemus & omnes Veteres Philosophi, ut testantur Patres Conimbr. [f] necessariam censuerunt. Hanc sententiam ipsi quoque Conimbr. approbant, cum id, quod movetur necessario locum relinquat; non possit autem eum relinquere, si una cum mobilifatur. Eandem affert rationem pro loci immobilitate astruenda Toletus [g]. Pererio [h] immobilitas est loci proprietates essentialis, ut visibile hominis. Ad loci immobilitatem asserendam, ait B. Senner- tus (i) si nulla alia ratio suppeteret, illud sufficeret, quod omnes quamcunque opinionem foveant, in hoc consentiunt, locum

a) lap. Phil. lib. 1. c. 3. & 4. p. 70.

b) Præf. phys.

c) Inst. phys. l. 2. c. 5. q. 3. p. 405.

d) Phil. sobr. p. 1. f. 1. p. 437.

e) l. 4. phys. c. 4. t. 41.

f) l. 4. c. 5. phys. q. 1. art. 2.

g) l. 4. c. 5. q. 5 p. 119.

h) l. 11. c. 1.

i) l. 1. c. 7. nat. sciët. p. 102.

locum debere esse immobilem, atque hanc proprietatem suo quisque loco accommodare nititur. Jam si hanc conditionem aptamus continentis superficiei, nihil minus quam illius immobilitatem deprehendimus. Sit turris immota, [quod exemplum ipsi nobis suppeditant Conimbr. [k)] nonne singulis ferme momentis aer circa ipsam flante præprimis vento movetur, & subinde aliam atque aliam induit superficiem, & per consequens alium atque alium locum. Sic superficies aquæ arborem ambientis movetur ad motum fluminis, arbore nihilominus immotâ manente. Cymba contra, cum secundo omne labitur, sæpè eandem aquæ superficiem servat, & nihilominus movetur.

k) l. 4. c. 5. q.  
1. art. 1.

§. 6. Interpretes, cum videant, periclitari hic superficiem, mirum in modum sese torquent. Et quoniam hic maxima sententiarum dissidia [quis enim in falsis consensus?] [l] producenda erunt illorum verba, ac cum singulis sigillatim agendū. Conimbricenses (m) cogitationibus suis imaginarium nescio quodnam fingunt, cuius respectu nihil ab surdi sequi putant, quod re immota mutet locū, dummodo non mutet situm & ubi; & quod res mota non mutet locum, dummodo alium situm, aliudq; ubi acquirat. Verum videant, dum imaginarium hoc spatium ad loci naturam pertinere asserant, ne ipsum Aristot. cum reliquis tutoribus oppugnent, utpote quorum potissima ratio est, Cur spatium nostrum non admittant, quia illud ut imaginarium & non ens suspectum habent. Certè miror, inquit Wendelinus [n] γυναικίς Peripateticis hanc approbari rationem. Cum enim intervallum illud seu spatium à Peripateticis ipsoq; Aristotele profligetur, & tāquā non ens repudiatur; & quis quæso existimet immobilem dici ab Aristotele locum respectu non entis. Et si vel maxime ex illorum sententia concederemus, solum superficiem locum non absolvere, nonne adhuc absurdum esset, rem motam non mutare locum, immotam contra alium subinde acquirere. Immotum esse & locum mutare, ait Excell. Dnō. Præses [o] nonne contradictoria sunt? Locum mu-

l) Viet. pro-  
script. l. 1. c.  
22. p. 147.

m) l. 4. c. 5.  
phys. q. 1. art.  
1.

n) Contēpl.  
Physic. Sect.  
1. par. 1. c. 8.  
p. 433.

o) lib. 2. c. 5.  
Inst. phys. q.  
2. p. 400.

*mutare est de loco ad locum tendere; jam tenditne de loco ad locum, quod manet immotum?*

§. 7. Thomas & cum eo Complutenses (p) distinguunt p) *Disput.*  
inter loci materiale & formale; materiale illis est Superficies 19. q. 2.  
continentis: formale est ordo & distantia à cælo, centro &  
polis mundi. Ideo licet materiale mutaretur, formale tamen  
imo formalissimum semper idem maneret. Ast hi iterum pe-  
tunt Aristotelem, sequeretur enim superficiem non esse de  
essentia loci: Siquidem quod potest adesse & abesse sine  
rei interitu, essenziale non est. Vid. Wendelin, (q) *Dein-* q) *Sect. 1. p. 1.*  
*c. 8. cont.*  
de si distantia est formalissimum loci, cur definitionem e-  
jus non fuerit ingressa? ita propugnando oppugnant Ma- *phys. p. 433*  
gistrum & ejus definitionem: ac una manu quod astruunt  
alterâ destruunt. Quod magis adhuc patet ex altera condi-  
tione ab æqualitate loci & locati desumptâ; unde Toletus,  
(s) *relatio illa ad distantiam non est loci formalitas; Quia sic*  
*locus ut locus non esset æqualis locato.* Falsum quoque est di- s) *l. 4. c. 5. p.*  
*118.*  
stantiam illam formale loci absolvere: Quia plane acci-  
dentale est, accidit enim corpori in loco existenti distare  
ab hoc vel illo Corpore, at jam de essentialibus res est. Vid.  
Excell. Dn. Præs. (t)

§. 8. Pererius cum nihil inveniatur, in quo animus pos- t) *Inst. phys.*  
sit acquiescere, novâ distinctione rem expedire conatur *lib. 2. c. 5. q. 2.*  
*p. 402.*  
(u) Turris inquit, manet in eodem loco active quoniam ipsa u) *lib. 11. c. 3.*  
non transit ex uno loco ad alium; non autem manet turris in *p. 615.*  
eodem loco passive, quia superficies aeris ipsam ambientis, quæ  
est ejus locus, non manet eadem numero sed subinde variatur  
circa ipsam. At distinctionem hanc, ut cum Excell. Dn. Præs-  
side (x) loquar, nec qui fingunt, nec qui audiunt applicare x) *Exercit.*  
*Scalig. 5.*  
possunt. Pererii patrocinium ait B. Sennertus (y) *ne omni* y) *lib. 1. c. 7.*  
*p. 104.*  
rationi & sensui repugnet ipse viderit. Superius enim immo-  
bilitatem fecit essentialem loci proprietatem; & hoc ca-  
pite superficiem Corporis continentis, quæ de essentia lo-  
ci est, non perpetuo eandem manere circa eandem rem,  
sed subinde variari asserit. Si ergo superficies est de essen-

C

tiâ

z) Institut.  
Phys. lib. 2. c.  
5. p. 401.

a) Meisn.  
Phil. Sobr,  
part. 1. Sect.  
3. p. 433.

b) Tom. 4. l.  
3. p. 392.

c) B. Meisn.  
dict. loc. p.  
438.

d) Arist. lib.  
3. Phys. c. 5.  
t. 49.

e) lib. 4.  
Phys. c. 5. p.  
115.

f) Philos. sobr  
part. 1. sect. 3.  
p. 438.

g) lib. 1. nat.  
scien. c. 7. p.  
106.

h) Tol. lib. 4.  
phys. c. 5. p.  
116.

tiâ loci, si immobilitas est essentialis loci proprietas, sane locatum, sive activè sive passivè locum mutet, movetur sed immotû. Vid. Excell. Dn. Præses (z) Plures non conquiram sententias, quæ tot fermè sunt, quod capita; Unum certissimum est, idem singulis evenire, de quo conqueritur ille in Tragædiâ Græcâ (a) *ἡγὶ Φησὶ ἡγὶ ἀπὸ Φησὶ ἔσθ' ἄρα τὸ Φῶ;* & quod habet Patritius (b) *audio verba pulchra, sonora, graviter prolata, res obscura tamen non declaratur: impossibilis res non deducitur, ut possibilis esse videatur.* Maneat E. locus immobilis, & quod superficies, in qua nihil minus quam immobilitas deprehenditur, locus non sit. *Atque hic primus est aries (c) πῆρας ἀσπίχου* concutiens; cui succenturiatas operas præstat hic secundus ab æqualitate loci & locati mutuatus.

§. 9. Altera conditio est, quod locus debeat esse æqualis locato: Si enim esset minor, non posset locatum in eo consistere & ita locatum esset extra locum naturalem; Si vero esset major non repleretur à locato suo naturali, & sic maneret vacuum ex parte, at neutrum fieri potest. (a) Hanc conditionem si aptes superficiei. Iterum eandem exulare videbis. Locatum enim ut corpus trinâ gaudet dimensione longitudine latitudine & profunditate, superficies autem longitudine & latitudine tantum. Jam est ne illud, quod tres habet dimensiones æquale illi, quod duas tantum habet? *Nec est, quod Pererius locum esse locato æqualem, quia utriusque superficies sunt æquales, aut met. cum jam non quærat de æqualitate Superficierum locantis & locati, sed de æqualitate loci & locati.* Recte Philoponus ap Toletum (e) *Corpus ut corpus in loco est, & corpus trinam dimensionem dicit: locus igitur trina dimensio est; si jam secundum superficiem corpus in loco esse dicas hoc jam profecto non est corpus sed corporis superficiem in loco esse.* Videatur B. Meisn. (f) Sennertus (g). Alii difficultatem hanc tollere satagunt communi distinctione inter æqualitatem ratione dimensionis & continentiæ. (h) At inæqualis illa continentiæ æqualitas; ut totum corpus in loco est, ita locus totus

toti respondeat necessarium est corpori. Non enim, si Petrus eandem tantum longitudinem & latitud. cum Paulo habet ipsi æqualis est. Et profunditatem non minus quam reliquas dimensiones in loco spectandam firmiter evincunt duo illa exempla ab Excell. Dn. Præsidente allata de vasis & quercubus. (i) Nec feliciori successu tertiam condit. *i) in instit. phys. lib. 2. cap. 5. q. 2. p. 396.* quod locus non debeat aboleri, etiamsi res seu locum aboleatur, Superfici ei accommodes: Quin contrarium potius in eadem reperias. Quoties quæso superficies aeris turrim ambiens aboletur, turri manente salvâ ac immobili? Et si quis mutat locum, statim aer confluit, nec ullus unquam eundem potest occupare locum. Videatur B. Meisnerus. [k] Quæ absurda, si spatio conditiones has applicemus facilè evitentur. Illud manet immobile, *k) Phil. sobr. part. 1. sect. 3. p. 446.* sive aer movetur sive non; est etiam æquale locato, nec unquam aboletur re abolitâ. Vid. Excell. Dn. Præsident. [l] Valeat ergo illa loci definitio, quæ ut Bodinus (m) habet, *l) Instit. phys. lib. 2. c. 5. q. 3. m) lib. 1. Theatr. nat. p. 106.* loci tantum extremitates ac terminos, non ipsam loci naturam explicat; ut si quis definiret lineam esse punctum, vel corpus esse superficiem. Ex hisce jam apparet, quo jure scribat Jachæus (n) *n) Instit. Phys. l. 4. c. 7. p. 86.* *Opinionem [de spatio] natam ex ignorantia definitionis Aristot. nulla vel probabiliratione defendi posse. Miror magis, inquit ibid. potuisse hoc seculo nostro inveniri paulo doctiorem, cui placere potuerit. Pari consequentia αὐτὰκόλυθον: opinio de superficie nata ex ignorantia nature loci &c.*

§. 10. Unicum restare videtur, quod subinde inculcare solent. Spatium nimirum esse tantum imaginarium quid, & proinde locum absolvere non posse, utpote qui est affectio corporis & per consequ. ens reale. Vid. Wendel. (o) *o) contempl. Phys. sect. 1. p. 1. c. 8. p. 357.* Quicquid tamen sit, si enim vel maxime definiri non posset, inquit, B. Sennertus (p) *p) Nat. sciët. lib. 1. c. 7. p. 7.* *non tamen idcirco esset negandum. Distinctæ sunt quæstiones an sit & quid sit. Quot entia, ait III. B. Meisnerus (q) expungentur, si nihil tolerandum, nisi cuius essentia nobis certo cognita & perspecta sit. Dari autem tale spa-* *q) Phil. sobr. part. 1. sect. 3. p. 448.*

r) lib. 4. phys.  
c. 6. t. 53.

s) lib. 4. dial.  
t) Phil. sobr.  
part. 1. s. 3. p.  
447.

u) lib. 4.  
Phys. c. 5. q. 3.  
p. 115.

x) lib. 4.  
Phys. c. 5.

le spatium seu vacuum absque mentis operatione fir-  
missime evincitur ex locali motu: *ὅ γὰρ ἀνδοσίη εἶναι κί-  
νησις* ut loquitur Aristot. (r) *εἰ, μὴ ἡ κενόν. τὸ γὰρ πλήρες ἀ-  
δύνατον εἶναι δεξασθαι* ei δὲ δεξασθαι τὸ κενόν ἐστὶ δύναμις ἐν τῷ αὐτῷ. Ne-  
cessum igitur est, ut vel tollant cum Melisso omnem mo-  
tum, vel concedant dimensionum penetrationem, vel fa-  
teantur dari vacuum; seligant jam quodcunque velint.  
Non puto selecturos primum; *experientia enim contradi-  
cere*, teste Philippo (s) *Sophisticum est*. si alterum velint:  
audiant B. Meisner. (t) *Penetratio dimensionum ex univer-  
so sanioris Philosophia territorio communi Sapientum decre-  
to dudum relegata & proscripta est*. Ergo jam remanet ter-  
tium quod scilicet detur vacuum. Si nondum sibi satis-  
factum autument, dicant nobis, qui fiat, quod unum cor-  
pus non possit egredi ex aliquo loco, quin intret alterum,  
adeo ut etiam gravissima quævis præter suam naturam in  
altum vehantur: nonne fit? ne vacuum seu spatium hoc  
relinquatur absque corpore, quod etiam Toletus (u) urget.  
Verum si nec hisce acquiescant, ostendant nobis superfi-  
ciei Patroni in quo loco sit Cælum supremum (negant e-  
nim dari aquas supra coelestes contra aperta Scripturæ te-  
stimonia) & nos Græca fide debitum exsolvemus. Interim  
nec hoc expectaturi, utpote cuius se nulla spes ostendit,  
priors capiemus partes. Dicimus igitur dari non tantum  
quantitatem realem seu materialem sed & intentiona-  
lem ac spiritalem, ut in iride, parelio, paraselene & ima-  
ginibus in speculo &c. Longitudo intentionalis da-  
tur in radiis solaribus; longitudo & latitudo in coloribus  
à vitro in mantilè Sparsis: longit. latitudo & profunditas  
in hoc ipso spatio, ac proinde hic nulla confusio aut di-  
mensionum penetratio metuenda; entia siquidem inten-  
tionalia ubique videmus pervadere ac penetrare Corpora.  
Corporis quantitas directè in prædicamento est Spatii  
autem reductivè. Sed ne in superioribus injuriam si-  
bi factam putent, concludimus his Masii (x) verbis:  
*Ego nisi me Aristotelis autoritas & D. Thomæ compelle-*  
*ret,*

ret, manibus pedibusque in sententiam de intervallo li-  
benter abirem, quam & intellectu faciliorem, paucioribus-  
que difficultatibus patere, si attente & argute superiora &  
que de natura illius diximus contemplerur. Verum quoniam  
ingenii fasces submittendi sunt Aristoteli & D. Thoma, fa-  
reamur locum superficiem esse & non intervallum, quia ho-  
gravissimi Philosophi dixerunt. Hæc scilicet est trux & me- y) *Præscr. lib.*  
tuenda illa charybdis ut cum viatore loquar, (y) in quam 2. c. 4. p. 183  
prono alveo pertinax & fatalis ingeniorum Vacordia olim &  
nunc ruit velut de compacto.

THEOREMA III.

ANIMA HUMANA PER TRA-  
DUCEM PROPAGATUR.

O Homo (a) stupor cæli, splendor nature, mentis divinæ a) *Casus lap.*  
amor, princeps mundi rerum omnium perfectio, imago Dei, *Phil. epist. ad*  
nescis quid & quis sis, ac quæ sint in te nature miracula! Quid lect.  
miraris inquit Isidorus (b) siderum altitudines & profundi- b) *lib. 1. de*  
tatem maris? animæ tuæ abyssum intra, eamque mirare & ri- sum. bon.  
mare si potes. Propter animam homo cum universo nature c) *Meisn. Phil*  
latifundo collatus solus mirabilis est. (c) Propter animam ho- sobr. part. 1.  
mo Platoni (d) θαύμα θαυμάτων: Plinio mundi epitome, s. 3. c. 6. p. 587  
natureque delitia; Scaligero (e) omnium viventium Regula d) *Dialog. 7.*  
appellatur. Inprimis autem, si stupendam ejus ac arcanam e) *Exerc. 102.*  
consideras originem, admirabilis est: ut non immerito s. 5.  
cum B. Meisnero (f) septem mundi miracula, cum hac (f) loco citat.  
conferantur, levia ac vilia pronuncies. Verum quo magis  
admirabilis est ejus origo, eo investigatu quoque diffici- g) *lib. 2. Me-*  
lior; adeo ut si circa ullam rem verum sit illud Aristot. (g) *taph. c. 1.*  
quod scilicet oculi nostri hebescant in rebus naturalibus sicut  
oculi noctuarum ad solem meridianum, certo circa hanc de  
origine animæ doctrinam quam verissimum. Quippe hic  
nobis idem fermè usu venit, quod olim vulpeculæ æsopi- b) *Scalig. e-*  
cæ, quæ (b) vitrum lambendo pulvem non attingebat. No- xerc. 307. s.  
stram igitur curam hac vice ponemus in humanæ animæ 12.  
origine indagandâ, & annitemur si non perfectam tamen

aliquam ejus cognitionem consequamur: & sicut Æneas  
Romanæ historiæ seriem in Clypeo sculptam intuens  
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet:

Ita nos maximè lætemur & contenti vivamus si quædam  
datur investigare. *Humana enim sapientiæ pars est* inquit  
Scalig. [i] *quædam æquo animo ignorare velle.*

d) Exerc. 307.  
f. 29.

k) in Phæd.

l) Inst. Phys.  
l. 1. c. 3. q. 3.  
p. 132.

m) Scal. l. 1.  
de C. LL. c.  
97.

n) Scal. Ex-  
erc. 307. f. 16.

§. 2. Circa animæ originem duæ inprimis nobiliores  
reperiuntur sententiæ, quarum altera pro animæ creatio-  
ne pugnat, altera ejusdem per Traducem propagationem  
defendit, cui & nos subscribimus. Ne igitur nobis contin-  
gat, quod olim Sophistis, qui à Platone (k) deridebantur,  
quod de justitiâ differerent, ignorantes quid illa esset, ini-  
tio statim quid rerum Tradux sit excutiendum venit. Est  
autem Tradux, ut eandem Excell. Dn. Præses (l) describit,  
in primâ significatione propago seu pars ab arbore secta & in  
aliam arborem traducta, quo pacto opera insitionis pomos,  
pyros, aliasque arborum species propagari solent hortulani.  
Ubi inprimis requiritur periti artificis industria, non e-  
nim furculi quivis & quovis tempore sed prægnantes gem-  
misque tumentes frangendi & trunco arctissimè aggluti-  
nandi, quo omnes aeri & aquæ præcludantur aditus. Hinc,  
cum ob maximum rerum numerum (m) sæpè vocabulorum in-  
opiâ laboremus, Traductio ad hominis generationem rela-  
ta est. Ubi statim ab omni imperfectione liberandus ter-  
minus; non enim ut idem numero furculus, sic eadè quo-  
que numero anima à parentibus [ipsorum procul dubio  
maximo malo] in filium propagatur ac traducitur, sed no-  
va & generantis specie similis. Nec divisio animarum hîc  
fingenda ut in furculis, quia generans communicat geni-  
to novam & numero distinctam animam. *Atque sic expli-  
cata hæc vox non tam absurda est doctis, quam nova quibus-  
dam.* [n]  
§. 3. Primam autem rationem pro stabiliendo theore-  
mate nostro desumimus à trito & ommuni omnium con-  
sensu comprobato Canone, qui vult, ut generans produ-  
cat



cat sibi simile. Si igitur Canon huic veritas sua constare  
debeat, si homo debeat generare hominem, necessario se-  
quitur ut generans genito non tantum corpus, sed & ani-  
mam communicet, utpote in qua potissima hujus simili-  
tudinis ratio deprehenditur. *Nec enim, inquit Magirus*  
*[o] potest esse homo, qui animam intelligentem non habet, si-* o) *Phys. peri-*  
*quidem à nobiliori parte anima scilicet est & denominatur ho-* pat. l. 6. c. 18.  
*mo.* Patres Conimbr. cum quibus hodie non nulli faciunt, p. 725.  
nihil impedire autumant, quin homo generet hominem  
etiam si anima creetur. Verba illorum hæc sunt [p] *Licet p) lib. 2. de a-*  
*anima finis sit humane generationis, quia tamen precipuus* nim. c. 1. q. 4.  
*finis est ipsum compositum, sive homo, qui gignitur.* Abun- art. 3.  
*de sat est, ut generans non dicatur frustrari sine si producat*  
*totum compositum, etsi formam ipsam non generet, sed ejus*  
*tantum cum materia copulationem attingat, quod etiam suf-*  
*ficiat, ut homo simpliciter percibeatur gignere sibi simile se-*  
*cundum speciem.* Ast funis ex arena; *falsum est* inquit B.  
Meisnerus (q) *quod homo generet hominem, etiam si anima* q) *Phil. sobr.*  
*creetur, homo enim sine anima non est homo, cum anima for-* part. 1. sect. 3.  
*ma sit & esse det homini.* Et quanquam generatio termine- c. 6. q. 1. p. 597  
tur in productione totius compositi, interim tamen &  
partium quoque habenda ratio, & ille, qui revera produ-  
cit totum essentialē, debet etiam formam, quæ dat esse  
producere. Non enim quicquam ad Rhombum quorundā  
de ædificio instantia; nec Timpleri olla difficultatē hanc  
tollit, quoniam ab artificialibus in naturalia inferre est  
frigidum fingere balneum. Et si alicujus essent momenti,  
non tam contra nos, quam pro nobis facerent; sicut enim  
architectus ædificio largitur formam, propter quam tale  
est, ita generans genito animam seu formam, siquidem  
absque hac homo non est homo, idem de olla & figulo di-  
cendum. Deinde elumbe plane est illum generare sibi si-  
mile, qui copulationem ac partium unionem tantum at-  
tingit; *Quæ causa* inquit Dno D. Dannhaw. (r) *plus non r) Coll. Su-*  
*prestat, quam ut naturalia activa passivis applicet, ea non* Voxol. disp.  
*est* 6. th. 3. p. 168.

est naturalis sed moralis. Sed nec attingit quidē, quia pater alitero post conceptionem die sæpe proficiscitur, moritur &c. & sic filium habemus ἀπαύτως: Miraculam in natura & in philosophia piaculum. Et si vel maxime adesset, unde quæso ipsi constaret, hoc temporis momento animā creatam uniendam esse corpori, ut jam nihil dicamus de opinionum varietate circa designationem temporis, quo anima infunditur vid. Conimbr. [s] Et certo multo probabilius ex mente B. Meisneri (t) Deum, qui inspirat & creat animam eandem cum corpore unire. Nec parum roboris exinde accipit probatio nostra, quod Adam (u) dicitur genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam: hanc similitudinem non tam in oris lineamentis quam in naturæ corruptæ identitate consistere patet inde, quia imagini divinæ opponitur, cujus πρῶτον δεκτικὸν erat anima. Vid. x) Colleg. Dn. D. Danhaver. [x] & ut quis filius appelletur, duo ψυχολ. p. 165 juxta Armand. de Bellovis. [y] requiruntur, 1. ut generans y) lib. 2. c. 15. & genitum sint intra naturam intellectualem. 2. ut genito communicet generans univocè eandem naturam: si jam solum corpus Sethi ab Adamo progenitum, protinus similitudo hæc & denominatio exspirant, quod est absurdum & Scripturæ minime consentaneum.

§. 4. Deinde si generans non communicat genito animam, ejus generatio erit imperfectior brutorum generatione, utpote quorum τελειώτατον opus generare sibi simile. Φυσικώτατον γὰρ τῶν ἐν τοῖς ζῴσις ἔργων [z] ὅσα τέλεια, καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτόματον ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἔτιον ὅιον αὐτὸ ζῶον μὲν ζῶον. Φυτόν ἢ Φυτόν. Recte z) Arist. l. 2. Magirus [a] si quis illud de homine verum esse negaverit, is de an. c. 4. t. certo brutorum animalium conditionem re ipsa potiore esse dicit hominis: quo quid absurdius dici potest? Nec quicquam valet illorum instantia, qui facere contendunt ad perfectionem hominis, si ejus anima immediate à Deo creatur: falsum est, facere ad perfectionem productionis s. animæ productæ, falsum facere ad perfectionem homi-

nis

s) l. 2. de anim. c. 1. q. 4. art. 2.

t) cit. loco.

u) Gen. 5. v. 3.

x) Colleg.

ψυχολ. p. 165

y) lib. 2. c. 15.

z) Arist. l. 2.

de an. c. 4. t.

34.

a) lib. 6. c. 18.

Phys. perip.

p. 725.

nis producentis. *Procul dubio*, inquit Dn. D. Danhavv, (b) *perfectior est homo, qui generare potest, ut vir Eunuchus, qui nequit.* Et de producentis perfectione hic tantum disquiritur. Et quid quæso de benedictione divina dicendum? num illius veritatem in solis hominibus exspirare concedendum? nam æq; (c) homines concernit ac bruta, æque ad animam pertinet quam ad corpus: aut enim Deus mutaverit consilium, aut non potuerit effectum dare, quod voluerit, quorum utrum absurdius, videant ipsi, quibus diversum ad palatum; nam utrumque in divinam omnipotentiam veritatem & constantiam injurium est ac blasphemum. Maneat igitur quod homo totus vi benedictionis divinæ hominem totum, anima & corpore constantem, non minus, quam bruta similes sibi & anima ac corpore constantes foetus, producat. *Benedictio enim divina*, ut eleganter loq. B. Jacob. Martin. (d) *non certe verbalis est, sed realis, non afficiens sed efficiens, non ad partem, sed ad totum hominem pertinens.* Vid. Dn. D. Danhavv. (e) Bodinus (f).

§. 5. Denique generatio, quæ homo sese multiplicat, aut est æquivoca aut univoca; non æquivoca, in illa enim causæ & effectus non sunt ejusdem speciei, nec eodem gaudent nomine essentiali. At homo genitus & generans habent idem nomen, & eadem utriusque essentia specifica, Ergo est univoca. Jam quicumque univocè generat, ille genito eandem essentiam specificam communicat, nam vult generatio univoca, ut eadem per omnia essentia ac natura genito communicetur. (g) *Quam essentia communicationem, ut Excell. Dn. Præses loq. (h) absque anima rationali nemo finxerit, aut pinxerit.* Toletus (i) nondum hic periclitari generationem univocam existimat; *Quia generans exhibet alteram partem compositi, nempe materiam s. corpus unde homo generatur. 2. quod concurrat licet non ad essentiam animæ, Sed ad ejus unionem cum corpore, & ad ejus informationem 3. Hinc etiam concurrat ad productionem totius compositi: 4. quia facit omnes dispositiones usque ad ul-*

D  
 timam

b) Coll. psychol. Disp. 6. lib. 3. p. 166.

c) Gen. 8. v. 17.

d) Disp. p. cul: de orig. anim.

e) Coll. psychol. p. 165.

f) Theatr. nat. lib. 4. p. 534.

g) Armand. de Bello vis. lib. 2. c. 15.

h) Antrop. lib. 1. c. 1. q. 4. p. 88.

i) lib. 3. de anim. c. 5. q. 17. p. 157.

timam, quæ sunt necessaria ad ipsius animæ introductionem:  
& ita concurrunt quoque dispositivæ. Et hæc sunt satis ad uni-  
vocam generationem, licet in essentia animæ sit discrimen ob  
ipsius perfectionem. Verum non magis ex his generationem  
univocam, quam, quod in proverbio dici solet, ex oculo  
nasum efformabis. quoad primum, ipsos Aristotelis pro-  
pugnatores mutuis frontibus commitemus. Univocatio-  
nem generationis à forma petendam docent Conimbric.

- k) lib. 1. c. 4. (k) Secundum & tertium in præcedentibus dedimus pro-  
de gen. q. 14. fligatum. Quartum si vult patrem immediate in utero hæ-  
art. 11. p. 11<sup>6</sup> rendo efficere has dispositiones, vulgo se deridendum ex-  
hibet; sin autem mediante vi plastica, è scylla naufragus  
in charybdin incidit. Quid enim est illa vis plastica nisi  
instrumentum seu accidens? quod si à principali causa nõ  
moveatur ac dirigatur nihil efficit. Adde quod illa vis pla-  
stica non sit generantis instrumentum sed animæ genitæ  
& productæ. Ergo ubi accidens ibi quoque ipsum subje-  
ctum. Et perpetuam fuisse Aristotelis sententiam, in fe-  
mine animam inesse, quæ corpus sibi fabricat, testatur Sca-  
liger [l] vid. Excell. Dn. Præsid. (m) Anima inquit Dn. D.  
Danhauvver (n) in femine est architecta sui domicili, & prodit  
se suis operationibus, quæ sunt seminis & conceptus vivificatio,  
ac deinde partium omnium organicarum efformatio.  
l) Exerc. 6. §. 6. Jam absurda, quæ Traductionem animæ non tam  
f. 1. sequuntur, quam sequi sibi imaginantur oppositæ senten-  
m) Exerc. 6. tia propugnatores, Diluenda veniunt; potissimum est,  
in Scalig. quod generatio animæ cum ejusdem immortalitate confi-  
n) Colleg. §. 6. stere nequeat; Sed respondemus Cum Coelio Rhodig. (o)  
psych. Disp. 6. nonne videant primum illum nostri generis patrem tanquam  
rh. 3. p. 172. Cæciam quendam, ipsum sibi calamitatum adscivisse nubila;  
etenim si non peccasset is, quodnam foret nobis cum morte  
o) lib. 1. an- commercium? aut igitur dicendum posteros Adami morta-  
tiq. lect. c. 3. les fuisse, aut concedendum generationem immortalita-  
tem animæ non evertere. At prius absurdum. Deinde ur-  
gent

gent compositionem ac divisionem animarum; cum ta-  
men tale quid hic non metuendum, parentes enim tan-  
quam causæ sociæ stant pro una: illustrat hoc ipsum B.  
Meisnerus (p) exemplo facis ardentis, in qua non major  
compositio quando ab aliis decem fuerit accensa, quam  
cum ab una vel duabus, & ut his nihil decedit ita nec ani-  
mis parentum, quia non est communicatio *μῆτεκβαῖν* sed  
*ἀλλοποτῆν* Vid. D. Danhavv. (q) Plura non addamꝰ ne tam  
morbi proventus quam remediorum iteratio nauseam  
creet. Vid. Excell. Dn. Præs. (r) Dn. D. Danhavv. (s)

p) *Phil. sobr.*  
part. 1. sect.  
3. p. 603.  
q) *Colleg.*  
*psych. Disp.*  
6. th. 3 p. 169.

§. 7. Hisce jam ita confirmatis, sponte sua corrui animarum creatio, & si nulla alia ratio eandem dissuaderet, abunde sufficeret, quod S. Scripturæ contrarietur, quæ disertis testatur verbis, DEUM ab omni opere, quod patrat, quievisse. Rectè Bodinus (u) si dicamus creatorem assidue in animarum creatione occupari, quæ perenni quasi flumine nascuntur, non videtur perfectâ universitatis conditione ac fabricâ ab operibus & opificiis conquievisse. Huic accedit, quod Dn. D. Dannhawer [x] assèrit, se neque legendo, neque orando, neque meditando, neque ratiocinando cum Augustino invenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur, & per quas rimas inter tot præsidia innocentie peccatum fuerit ingressum. Sed de his feliciter Theologi, & nostrum non est extra cuticulam evagari. Vid. B. Meisn. (y) Bodin. [z] Interim nobis Religio esto quicquam S. Scripturæ contrarium aut in DEUM blasphemum statuere; Quid enim interest inquit Seneca (a) utrum Deum neges, an infames.

r) *Antroph.*  
lib. 1. c. 1. q. 4.  
s) *loco citat.*  
t) *Gen. 2. v. 3*  
u) *Theat.*  
nat. lib. 4. p.  
534.

x) *Colleg.*  
*psych. Disp.*  
6. th. 2. p.  
153.

y) *Philos.*  
*sobr. part. 1.*  
sect. 3. p. 590.  
z) *loc. cit.*  
p. 535.

a) *Epist. 123.*

§. 8. Atque hæc sunt, quæ ex diversis Authorum sententiis observare licuit, quod si forte ea omnibus non satis sint ad palaram, suo quemque abundare patimur sensu, modo nec ipsi celeberrimorum virorum suffragia à nobis stare invideant.

**DEO TRINUNO SIT GLORIA.**

Ad



*Ad Praestantissimum & Literatissimum,*

# DN. MARCUM ESMARUM

Domesticum, Commensalem & Amicum suum amatum  
æstimatumq; ex Philosophia naturali  
publice disputantem.

**S**ic prodire decet : sic se immisere cohorti  
Thespiadum, ESMARE, & visere castra decet.  
Perge hanc, perge viam hanc, rectamq; attingere metam,  
Sic capies studiis præmia digna tuis.

*deproperab. m. l. q.*

ANDR. SENNERTUS, P. P.




05 A 1875

ULB Halle

3

003 788 059




1017









Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

38

IAS  
REMA-  
SICORUM,

MI NUMINIS GRATIA  
ÆSIDIO

R I  
ntissimi, Clarissimi,  
IS Sperlinges/

ni, Dn. Præceptoris, Fautoris ac  
antia cultu æternum  
ndi,  
isquisitioni submittit

RUS HOLSATUS

x R.  
ad diem 9. Martij  
utinis.

\*\*\*\*\*  
E R G Æ,  
HAKEN, M DC LIII.

